...ertus

Taratuz Seb. Jos. Paramythia seu verbum solaminis

# PARAMITYA
SEV
# VERBVM SOLAMINIS.
QVOD
Inter Lugubres Triennalis pestilentiæ minas
Vrbi Cracouiensi, Ordinibusq; Academicis
IN AVSPICATA, INAVGVRATIONE
IN
# RECTOREM
*Magnifici, Perillustris & Admodum Reuerendi Domini*
## M. ALBERTI PAPENKOVII
VSTIENSIS: SACRÆ THEOLOGIÆ
DOCTORIS & PROFESSORIS:
Præpositi Sancti Floriani, Prothonotarij Apostolici
Contubernij Staringelliani Prouisoris
*Gratulationis & gratitudinis ergò*
*À*
M. SEBASTIANO IOSEPHO TARALICZ,
Philosophiæ Doctore, Collegâ Minore, & interea Ordinario
Eloquentiæ Professore
PROMVLGATVR
*Instante Brumali Commutatione*
Anno 1679. Die 25. Mensis Octobris.

---

CRACOVIÆ,
Ex Officina ALBERTI GORECKI S. R. M. Typogr.

# MAGNIFICE
## DOMINE RECTOR

*Fortuna, quæ ad lugubres lachrymas miseros mortales necessitat; sæpenumerò medijs in angustijs afflictos animos, ad spem erigit meliorem, & ad serenum redacta vultum, clarum mæstis repræsentat post tristia nubila Phœbum. Res nostra, & Spes nostrá non in mediocri versatur discrimine: quandò ab obseruato triennio continuis contristamur ex pestifera contagionis lue periculis; adeò, vt in desperato casu animo concidentes, vel exules, vel intra metũ positos, Felix olim Cracouia suos conspiciat Ciues. Accedit huc non mediocris doloris malignitas, dùm Iagelonis toti Septemtrioni amabilis & honorabilis Parnassus, suis manet destitutus Musis; suosq; amisit ex viris egregijs Clarissimos omni præstantiâ Apollines: Alios quidem Astrorum: & totiùs Matheseos cognitione claros. Illos Artistico certamine celebres: Hos labore & curâ circa Iura, Resq; Academicas ab annis plurimis commendatissimos, Nonnullos scientiâ & peritiâ sacræ paginæ memorabiles: quosdam ob medendi peritiam Polono Orbi, & huic Vrbi optatissimos; Qui quidem Vniuersi sicut doctrinâ, ingenio, virtute, in Viuis Orbi Academico multùm claruerunt; ita post fata Cælesti felicitate fulgeant in perpetuas Æternitates. Te quoq; ob memoriam recentem præterire non possum, omni virtute, dignitate, honore & præstantiâ Illustris semper* ANDREA KVCHARSKI, *qui cùm toties, tum non ita pridẽ Regimini Sceptrisq; Academicis admotus, domesticis gratiosus, extraneis venerandus, Magnis, Viris, Principibus Magnis plurimi æstimandus extitisti. Sed cùm nunc viuas æternitati insertus, Nos lachrymis moderamen inijcimus, & ad Solaminis remedia descendimus. Et veró non postremum solatij indicium est* Magnifice Domine RECTOR, *cùm te in eo conspicimus honoris solio, ex quo boni ominis & optimi Regiminis, possumus Vniuersi euidens sumere indicium. Diu te huic dignitati seruauit, & conseruauit Res Academica, vt cùm tot malis morbidis subueniendum est, Tu illis pro innata Tibi prudentia, dexteritate, atq; sapientia mederi digneris. Neq; id fieri posse dubitamus; Principibus enim atq; Ducibus, Tui sinceri instituti non fucatus labor exhibitus, tantúm tibi attribuit, quòd per te Clauæ Imperatoriæ, & cætera honorum Regni Sublimium insignia feliciter vbiq; dirigantur. Iudicium quoq; illud tibi adest, quod non modò in causis Academicis, per Theatra Conuentuum, Comitiorũq; ab Ordinibus Poloniæ celebratorum comparasti, verùm etiam apud Exteros promeritum Diadema honoris Theologici repetendo, in suprema Romanæ, Orbisq; totius Sapientiæ sede cõfirmari curasti; & feliciter, cũ Sacra Supremi Ecclesiæ Romanæ Antistitis, Benedictione propositi tui intentũ coronâsti. Quare* Magnifice Domine RECTOR, *cùm te cãdida mens exornet, rectum commendet iudiciũ, animus mansuetus deprædicet, humeri ad laborem sufferendum idonei collaudent, iustus in omnibus labor veneretur; Regia hæc Sceptra, quæ recipis inclinabis ad reparandas Rei nostræ ruinas, ad conciliandos Ciuium animos, ad nomen Academicum promouendum, & propagandum, ad omnia deniq; iuxta ritum suum, & leges suas disponenda. Fauebit tuo Regimini Supremus totius Vniuersi Moderator* DEVS, *remq;, spemq; tuam, ad quæuis meliora diriget; Teq; ipsum in saluberrima & prospera Fortuna diutissimè conseruabit. Hoc Tibi animitus euenire cum Vniuerso Academico cœtu* Magnificus, Perillustris, & Adm Reuerendus Dominus M. ALBERTVS DĄBROWSKI, Sacræ Theologiæ Doctor Professor: Sancti Floriani Decanus: Maioris Collegij Senior Pater: Felicissimus Almæ Vniuersitatis Cracouiensis, in anteacta Cõmutatione Æstiuâ RECTOR, *apprecatur. Cui vt vnà tecum Cælum fauens omnia fausta prosperet, omnes Bono Publico benè cupientes expetimus: & possesionem Sceptrorum, nunc de manibus eiusdem mente candidâ, & corde sincero traditorum; festiuè tuæ dignitati voce concordi gratulamur.*

ODE

# ODE DICOLOS TETRASTROPHOS.

TAm diu mæſto ſatiata fletu,
In minis mortis Craciadis ora
Exſtat, in duris meliora ſperans
Gaudia rebus.
Siſte diffluſas lachrymas, redactis
Ad bonam ſortem ſtatibus; ſalubre
Mitte, nunc cælo tibi ſic fauente,
Carmen in auras.
En Iagelonis ſchola, mente rectâ
Patris ornari meruit probati,
Sceptra qui ceſsit retinere doctæ
Fulgida Sparthæ.
Hæc PAPENKOVI celebrande digno
Prende concentu, Tibi quem Paternus
Donat in cunctos animus, datiſq;
Annue votis.
Ecce ſpectabat Dea ſuauiore
Fronte Fortunæ, ſibi dum Iagelus,
Ex dato ſenſu ſapientis aulæ,
Riſit Apollo.
Collis elatus dedit apta Muſis
Plectra, Parnaſſum reſonare dixit,
Et viro lecto Patriæ perennes
Dixit honores.
Gloriam Magnis Satrapis Lechorum
Arte præcelſa, cumulando dedit
Optimos Patres Patriæ, Gradiui
Fulmina Turcæ.
Te Duces doctos potuiſſe Lecho
Martis Alumnos dare, non ſilenti
Fama cornu concinit, & ſtrepenti
Nuntiat aurâ.
Vera laus te non fugit, & videris,
Grandibus præſens benè ferre factis
Heroum pulchrum decus; hoc venuſtæ
Ferte Camenæ.

Ferte

Ferte per vastas Lechiæ cateruas,
Liuor haud lætas religet catenis,
Ite per Orbem, societa circum
Mittite vota.
Noster en RECTOR Iagelonis aulæ
Obtinet culmen, comitante cætu
Gloriosæ dotis, & assequacis
Murmure famæ.
Iam tibi faustis Zephyri quadrigis
Nunc fugant nubes, Tibi nunc serena
Astra subrident, Tibi delicata
Luce refulgent.
Syderum Sacros imitata vultus
Roma Te vidit, tulit, atq; docto
Intulit, lætis manibus, sacrata
Serta capillo.
Candor amplus Te decet, & laboris
Digna semper præmia, gestiente
Dignus es, qui concelebreris ore
Sceptra tenere.
Viue Fortunæ, meliore verbo
Dicimus; præsit tua dextra doctis
Faustiùs Sceptris, mereat perennes
Semper honores.
Apta dum nostris venit hora votis,
Viue; Fortunæ placidum lucere
Poscimus Phæbum; Tibi, resq; faustas,
Corde precamur.
Nos Tibi gratam sobolem benignum
Mitte sub sinum, benè in supremo
Confidens nobis solio, paternam
Exhibe frontem.
Sic sit, hoc votis iteramus omnes;
Exeant, Sic sit, bona verba læto
Semper euentu, peragas Beatos
Semper honores.
Alma perplexis, grauibusq; causis
Pressa Mater, gaudia te studente
Cernat, & post tristia luce clarum
Nubila Phæbum.